



## The Holy See

---

PIUS PP. XILITTERAE APOSTOLICAE LITTERIS APOSTOLICIS\* DISTRACTO TERRITORIO EX VICARIATU  
APOSTOLICO VICTORIAE NYANZENSIS IN AFRICA CENTRALI ERIGITUR VICARIATUS APOSTOLICUS DE  
MWANZA

*Ad futuram rei memoriam*— Litteris Apostolicis Nostris, sub anulo Piscatoris die VIII m. Aprilis huius anni datis, ex territorii vicariatus apostolici Victoriae Nyanzensis in Africa centrali parte novum constituimus, limitibus eiusdem praefinitis, apostolicum vicariatum, cui a civili de Bukoba provincia nomen de Bukoba fecimus. Nunc autem reliquae partis memorati vicariatus Victoriae Nyanzensis sollicitudo Nobis suadet ut pariter eidem territorio convenientem statuamus rerum ordinem, qui christiani gregis ibique degentis utilitatibus provehendis facilius conducat.

Quapropter, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui Sacrae Congregationi de Propaganda Fide negotiis sunt praepositi, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, ex memorati Victoriae Nyanzensis vicariatus civili provincia, quam de *Mwanza* nuncupant, novum ac separatum vicariatum apostolicum constituimus, quem ex ipsis provinciae civilis nomine ex nunc et in posterum de *Mwanza* vocabimus. Sequentibus vero limitibus huiusmodi novus vicariatus concludatur: ad septentrionem a *Kenia Golony* et primo gradu latitudinis meridionalis; ad occidentem a lacu Nyanza, inclusis insulis quas *May some* et *Luwondo* vocant, deinde provincia *Bukoba* seu *Bihlamulo*; ac meridiem provincia civili de *Tabora* quae regiones contingit dictas *Mbogwe*, *Busangi*, *Salawe*, *Lukombo*, *Selce*, *Mondo*, *Uehungu*, *Uduke*, deinde flumine *Mayonga* et lacu *Eyassi*, per quem transit provinciarum limes; ad orientem linea quae a punto maxime septentrionali lacus *Eyassi* usque ad E 5, 45 um longitudinis orientalis gradum protrahatur. Horum autem limitum causa, quos novo de *Mwanza* vicariatui assignavimus, hodiernos quoque fines vicariatus de *Tabora* immutavimus. Territorium enim triangulum, quod inter praedictam lineam ab extremitate lacus *Eyassi* septentrionali ad E 5, 45 um longitudinis orientalis gradum protractam iacet et antiquum vicariatum *Taborense* et *Nyanzensis* limitem (qui a lacu *Eyassi* per Montes *Ngai* et *Geley* limitem Kenya-Colony attingebat), nunc a vicariatu *Nyanzae* distractum in posterum ad vicariatum *Taborense* adiungimus, ita ut Saltem in parte vicariatus cum provinciis civilibus concurrat: nam memoratum triangulum territorium pariter ac pars proxima vicariatus *Taborense* ad eundem districtum de *Arusha* pertinet. Itemque limitis septentrionalis *Taborae* et meridionalis *Nyanzae* partem, quae est Orientem versus, non tam clare

hucusque definitam, ad provinciarum de Mwanza et de Tabora limites reducimus. Ipsius quidem novi vicariatus apostolici de Mwanza nuncupati, praefatis limitibus constituti curam ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum Patribus e Societate Missionariorum Africæ committimus.

Haec mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtainere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die X m. Aprilis an. MDCCCCXXIX,  
Pontificatus Nostri octavo.*

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

---

A.A.S., vol. XXI (1929), n. 14, pp. 623-62

---